

1978
L
1741

D. f. 8.


M ~~1111~~ 27.

VIRI
ADMODVM REVERENDI, PRAENOBILISSIMI
ATQUE DOCTISSIMI
DOMINI
CHRISTOPHORI ADOLPHI
DINGELSTEDT,
POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSLIIIS
RERUM METALLICARUM, ET VICARII AD AED. B. MARIAE
VIRG. HALBERSTAD.
A. D. III. NON. DECEMBRIS MDCCXXXVIII PLACIDE EXTINCTI,
BEATIS MANIBUS,
LVGVBRE HOC PIETATIS AC HONORIS MONVMNTVM
OFFICIOSE DICAT
FRATERNITAS VICARIORVM
EGCLLES. B. MARIAE VIRG. HALBERSTADENSIS;
INTERPRETE
FR. WILH. EICHHOLTZ
HALBERSTADII
CHARACTERE FRIDERICIANO. MDCCXXXVIII.



ALIACOMUM RERUM PRAEIMONSTRATEN
AUGUSTI DOCTORIS
DOMINI
CHRISTOPHORI ADOLPHI
DUCIS
LOTENTISSIMO
UNIVERSITATIS
HALLE
(SALIA)
LIBRARIA
OPIK
78 L 1741
AK
INTITULATA
ER. AIIH EICHHORNIA
HALLESTANIA
CHALACTEA LIBIDINOSA MDCCLXV
L 57





efunguntur vita ex summi rerum omnium
arbitri sapientissimo moderamie permulti
doctrina et virtute praecellentes viri, hu-
manitatis vera ornamenta, reipublicae et musarum praefidia:
viuunt, vigent, florent è contra tot tantaque humani
generis dedecora, tam inutilia terrae pondera, quae vel prauitate,
vel auri sacra fame ducti, vel imprudentia vel insidiis

mortalium coetum et contaminant et excruciant. Quae quidem maximi Numinis adorabilis ordinatio nonnullis philosophis ansam praebuit, ut causas huius diuinæ voluntatis inuestigare studuerint. Non est mens nobis, nec propositi ratio, his desuper verba faciendi: accedimus modo illorum, et communis fere omnium, sententiae, qui fidem ac probitatem nostris temporibus magis magisque euangelicere et albo coruariiorem fieri existimant. Quanto magis ergo ille, qui ex pugnando isto numero

*Integer vita scelerisque purus
dici potest, albo lapillo notandus, memoriaque ejus sancte
celebranda erit, præsertim si haec cordis integritas solidam
eruditionem atque prudentiam habuerit comitem.*

Talis vero erat, quem iam lugemus, cui lacrymosum
hoc quale quale pietatis officium præstamus, *Vir admodum re-
verendus, consultissimus, nunc diuus, CHRISTOPH. ADOLPH.
DINGELSTEDT, Rerum metallicarum, quae in Principatu Hal-
berstadiensi & adpertinentibus prouinciis aguntur, Consiliarius Regi-
us, ad aedem B. Mariae Virg. Vicarius Seniori proximus, socius no-
ster,*

ster, dum in viuis degeret, coniunctissimus, eruditione incomparabili, probitate haud fucata, antiqua fide, vitae morumque puritate, sermonis elegantia et suavitate, iudicij gravitate, meritis erga rem tam publicam quam priuatam ac litterariam singularibus, insigniter clarus. Poscunt tam beneficia, poscit commune, quod nos inter fuit vinculum, ut amici optimi laudabilem, quam promeruit, nominis sui memoriam sempiterno, non solum prosequamur pietatis cultu, sed et de ipsius vita ac meritis hoc loco pauca quaedam per summa capita differamus.

Lucem hanc primum adspexit ὁ μακαρης, Blancoburgi Cheruscorum, die XIX. Octobris anni MDCLXXXVIII, Patre ANDREA DINGELSTEDT, Consule Blancoburgensi, tandem emerito, matre vero ANNA SOPH. LERCHIA; quod parentum par ante aliquot modo annos, et quidem prior, nonagenarius senex, vitam cum morte commutauit. Auum habuit HANSEN DINGELSTEDT, Ictum et iudicij criminalis, quod ibidem est, scabinum, cuius vxor, SABINA CATHARINA STEINACKERN ex incluta Steinackeriorum gente ortum traxit. Hac stirpe oriundus Noster prima lite-

rarum et artium rudimenta posuit in schola patria, adscriptus postea stipendiatis quibusdam alumnis, qui ex liberali serenissimi Ducis erga litteras affectu tunc temporis ibi degere runt. Tum anno MDCCV. in lycaeum *Quedlinburgicum* missus, ab ore clarissimi aei*ui* sui Rectoris, M. TOB. ECKARDI, pependit. Postea vero, patriis laribus iterum visitatis, Guelpherbitum itauit, ibique a. MDCCVIII Rectore WEICH-MANNO ad altiora mentem praeparauit. Abiit ergo a. MDCCX. in augustam musarum sedem, quae Jenae est, seque historiarum, iuris et philosophiae scientiis, nec non liberalium artium culturae totum tradidit, scholasque celeberrimorum doctorum DITMARI, B. G. STRUVII, GV. BUDDAEI, WILDVOGELII, SCHROETERI, aliorumque, sedulo frequentauit. Anno MDCCXII. splendissimam illam litterarum officinam, *Fridericianam* scilicet *Halensem* profectus, ibidemque institutionibus illustrium ac consultissimorum virorum, GUNDLINGII, cognitionem statuum Europae proponentem, BOEHMERI, Digesta et ius canonicum docentem, DE LUDEWIG, ius feudale et publicum tradentem, THOMASII ac ceterorum quorundam doctis p^{re}aelectionibus gausus est.

Quo

Quo demum stadio percurso, hisce doctrinis paeclare perpolitus, theoriam ad praxin applicare et in causis forensibus periculum facere coepit. Redux itaque Guelpherbyti a. MDCCXIII. patrui sui filium adiit, Virum nempe Illustrem atque amplissimum, DANIELEM JORDANVM A DINGELSTEDT, Adsefforem tunc temporis iudicij aulici et cancellariae Guelpherbytanae Aduocatum, postea vero Consiliarium supremi tribunalis, quod Wismariae floret; atque cum eo per aliquot menses est commoratus. Eodem, quem modo diximus, anno, mense nimirum Augusto, Halberstadium nostrum petiit, et inde ex resignatione Dni. Christophori POTT Vicarium S. Cyriaci 2 dae fundationis nactus, sodalitio Vicariorum B. Mar. Virg. adscriptus est. Non possumus non permulta illa, quae per omne tempus consortii nostri ex B. huius SOCHI benigna cura auxilioque in rei Concilii nostri promanarunt commoda atque utilitates heic publice collaudare: quorum quidem speciali enarratione merito supersedemus, quorum tamen memoriam nulla unquam delebit oblitio. Vixit hac in statione per tres annos coelebs, nullis nisi Musarum amoribus irretitus, anno MDCCXVI. vero d. XVII. Nouemb. tha-

thalami et vitae sociam sibi inuenit virginem florentissimam, viduam nunc moestissimam, SOPHIAM ELISAB. BOHN-STEDT, viri admodum venerandi, M. SIGISMUNDI BOHN-STET, Pastoris quondam in Dersheim et Bexheim, et CATHARINAE ELIS. KOENNEKEN, filiam natu minimam. Ex qua matre *tres suscepit filios*, 1.) Virum nobilissimum atque doctissimum, ADOLPHVM DINGELSTEDT, Illustris Cameræ Regiae, quae hic est, Advocatum et Notarium, itemque Vicarium Eccl. B. M. V, in afflictissimæ matris solamen ac praesidium vnice superstitem, genitoris optimi, quem acerbe plangit, vestigia sedulo prementem, natum d. 29. Januarii MDCCXVIII. 2.) Godofredum Guilielmum, natum MDCCXXII. dieque 25. Decembr. MDCCXXIV demortuum: 3.) Carolum Christianum, d. 15. Julii MDCCXXVII in lucem editum, MDCCXXXV. autem Brunsvigae denatum.

Quod vitae genus B. defuncti nostri, et, quibus distentus fuit, negotia atque munia concernit, VIR PIAE MEMORIAE indefesso semper labore ac lucubrationibus non Musis modo operam nauauit, sed et graues operosasque occupationes

sibi

sibi demandatas fidelissime sustinuit. Erat enim omni gene-
re elegantioris ac solidioris doctrinae tam mirifice instructus,
ut nihil fere supra: in Historia, Geographia et re medica vni-
uersali princeps, in Physica, praesertim experimentali, Chy-
mia, Metallurgia, in re diplomatica ac numismatica, heral-
dica, et antiquitatibus tam sacris quam profanis, imprimis
vero romanis, septentrionalibus ac teutonicis, facile versa-
tissimus; neque etiam hospes in graecis et iudaicis, quod in-
ter alia, quae infra attingemus, scripta, testantur notae ipsius
vberiores ad Hadr. Relandi antiquitates sacras veterum Hebreo-
rum, manu sua exaratae. Ast varia saepius valetudinis infir-
mitate adflictus atque implicatus fuit.

Munia demum publica ipsius quod attinet, a SUMME RE-
VER. NOSTRATIVM CAPITVLO *Procuratoris communis*
sparta' ipsi oblata est anno MDCCXXIX: tum ab Augustis-
simo Borussorum Rege, Patre patriae, vere Magno, *Adseffor*
Amplissimi iudicij rerum metallicarum; denominatus anno
MDCCXXXII; qui denique Potentissimus Princeps, anno,
quem adhucdum terimus, singulari ipsum *Consiliarii Regii* di-

B

gni-

gnitate apud dictum Collegium cohonestauit; quibus omnibus vsque ad extremum vitae halitum, praeter multa alia, quibus obruebatur negotia, sedulo, sincere et laudabiliter vacauit.

Neque etiam silentio praetermittenda sunt *itinera* quae-dam et alia *facta memorabilia* desideratissimi nostri DINGEL-STADII. Permigravit doctae curiositatis ergo, et propter sanitatem, et ob firmandam historiae ac geographiae cogni-tionem, maximam partem *Westphaliae*, *Ducatum Calenbergi-cum et Guelpherbytanum*, *Principatum Oberwaldensem*, *Episcopa-tum Hildesensem*, *Landgraviatum Hassiae*. Struxit a. MDCCXXXVI aedes fusorias ad ripam fluuii *Goldbeck* in *Berkendahl*, prope Heimburgum Harzicum, ad comparandum ex aere *Cobaldi* coeruleum quendam colorem *Saffor* dictum, quo ad vasa por-cellaria quae vocant ytuntur, qui color alias nullibi extra re-gionem Misniae, quam *Erzgebürge* vocant, reperitur; verum haecce tentamina ob superuenientes graues causas infausto omine peracta, et dictum aedificium in molam oleariam po-stea permutatum est. In *foresto Dahlico* aerarias et argenti fodi-

fodinas partim aperiuuit, partem continuauit. Aeris victrioli
fodinam prope *Bennekenstein* in silua Herciniae aperiuuit, atque
aedes ibi fusorias collocauit. *Lithanthraces*, seu carbones bi-
tuminosos, vulgo *Steinkohlen*, fossit prope fluuium *Bode* cir-
ca rupem *Kohnstein* in confiniis *Weddersleben* et *Wernstedt*, iti-
demque prope *Hornbusen* è regione syluae Brandeslebiensis.
Anno MDCCXXXVI ex Commissione Illustris Camerae,
quae huic Principatui praeest, visitauit fodinas metallicas vt
vocant, *Kupperstiez*, prope *Ermslebiam*, et paulo post etiam
Dankerodanas minas argenti et cupri. Anno MDCCXXXVIII
Berolinum se contulit, atque anno sequenti metallicas ciuita-
tes Harzicas, *Clausthal*, *Cellerfeld*, *S. Andreae montis*, rel. per-
uagatus est. Iterum vero a. MDCCXXXXVII. splendidissi-
mum illud caput *Berolinum* euocatus, eodem anno ad *Min-
denses* metallicarum rerum gratia descendit: postmodum ob
idem a. MDCCXXXXVIII. *Mindam* denuo accersitus, ad in-
uestigandas metallorum fodinas et fabricas, magnamque
aerium fusionem ibi locorum experiendam atque perficiendam.

Vidimus hactenus AMPLISSIMUM VIRUM concatena-
tis laboribus, cogitationibus et molestiis immersum, Regis,
patriae, Capituli, aliorumque et nostris et suis negotiis ad-
dictum: Attamen exactis tot tantisque ingenii ac industriae
monumentis, quidquid vitae otiique superfuit, ita consum-
fit, ut nunquam otiosus, omne tempus, omne studium,
omnem operam in artibus inque omnis generis scientiis stre-
nue collocauerit. Non sine magnis sumtibus eximiam con-
cinnauit bibliothecam, optimorum quorumque librorum
ceterorumque antiquitatis monumentorum copia refertam;
quibus excussis et ipse animum ad scribendum adpulit, quam-
quam pleraque B. AVCTORIS molimina lucem publicam
non adspexerunt, quae si DOCTISSIMVS FILIVS supra col-
laudatus e scriniis ipsius eruere atque in hominum manibus
extare vellet, magnum sane utilitatis et oblectamenti effice-
rent. Nominabimus sequentia: 1.) *Commentarium rerum Blan-*
kenburgensium historico-geographicarum, de quo aliquot plagä-
rum fragmenta Manuscripta supersunt: 2.) *Chronicon Halbersta-*
dicense MSptum: 3.) *Vitam Ludovici Halberstadiensis Episcopi*, sed
itidem non consummatam. Emittere vero coepit 4.) *Versuch*
einer

einer zuverlässigen Geographie &c. opus pragmaticum, 'egre-gium, ac fato meliore dignum, de quo iam sex plagae in for-ma octaua typis exscriptae exstant, reliquae autem 10 vel 12 exaratae plagulae in MSpto adhuc latent. 5.) Edidit Tabulam seu mappam geographicam Principatus Halberstadiensis et adiacen-tium regionum, ad statum nouissimum reuocatam, multoque studio elaboratam, quae aeri incisa Amstelodami ex officina Petri Schenkii prostat. Reliquit denique 6.) huiusmodi Tabu-lam curatissimam antiquae Westphaliae, manu sua delineatam, vna cum multis aliis doctissimis collectaneis ad omnem Histo-riam, Geographiam, Antiquitates et Etymologiam facien-tibus.

Reliquum est, vt BEATI NOSTRI ex hac vita discessum attingamus, et de morbis, quibus non correptus solum, sed proh dolor! oppressus etiam fuit, quaedam dicamus. Erat VIR PIAE MEMORIAE à primis fere aetatis virilis annis diro illo litteratorum affectui, malo sic dicto hypochondriaco, obno-xius, quod malum ab assiduis sine dubio, quibus vacabat, lucubrationibus, natales duxerat. Anxietates praecordiorum

à spasticis illis intestinorum stricturis, flatibus simul atque ructibus remoram iniicientibus, erant per totum fere vitae tempus summae: huc accedebant nisus ad flebile illud naturae beneficium, *haemorrhoides* scilicet, haud vero sufficienes, à stagnatione sanguinis in vena portarum et mesenterio pertinacissima oriundi. Hinc illae lacrymae, quod in postremis vitae suae mensibus *tubes*, *vertigo caduca*, *rheumatismi* atque *spasmi oesophagi*, omnem fere impedientes deglutitionem accesserint. Tribus ante obitum diebus summus exoriebatur *calor febrilis* cum *asthma* ineffabili coniunctus, qui etiam ob virium debilitatem vitae finem attulit, sequutum eheu! ad diem III. Non. Decembris, quo, post summam *lipothymiam*, ex qua adhuc semel erat excitatus, quatuor circiter horis praeterlapsis, octaua scil. matutina, pie et placide obdormiuit, spiritumque per insignem efflauit; absoluta in his terrenis aerumnis LVIII. annorum, i. mens, et XIII. dierum serie.

Conficiuntur lacrymis pullata VIDVA et afflictissimus
MATRIMVS: plangunt cognati, dolent amici, luget patria,
com-

complorat ciuitas; optimum ciuem, amantisimum decus,
officiosisimum Pyladem, coniunctisimum familiarem, cer-
tum, beneolum, constantem, statorem ac praesidium; et
certissime

Multis ille bonis flebilis occidit.

Ast subueniendum est moerori, ne simus nimii: feramus du-
rum hunc casum strenua et tranquilla mente, quoniam

leuius fit patientia,

Quicquid corrigere est nefas.

Depressae domui DINGELSTEDIANAE, et omnibus cun-
que mortem AMICI NOSTRI acerbe conquerentibus, ad-
precamur ipsius summi huius vniuersitatis, effectoris vberri-
mam consolationem et omnis generis prosperitatis diutur-
niorem vsuram. Nos vero vitam, consortium, memoriam,
et merita ipsius piissimo semper atque intimo recolemus
animi affectu.

Perfruatur igitur felicitate sua in consummatorum coe-
lico-

licolarum beatissimo concilio: sentiat gaudia, ἀρφαλμός εἰ
εἰδε, καὶ εἴς εἰς θυσε, καὶ ἐπὶ καρδίᾳ αὐθρώπου εἰς ἀνέβη; requiescant
exuuiae in pace! Et sic haue', et sic vale, anima
candidissima, aeternum vale! Deproperabamus

Halberstadii, a. d. IIII. Id. Decembr.

MDCCXXXXVIII.



78 L 1741

ULB Halle
004 990 668




3

TA OL

KOT







VIRI
ADMODVM REVERENDI, PRAENOBILISSIMI
ATQUE DOCTISSIMI
DOMINI
CHRISTOPHORI ADOLPHI
DINGELSTEDT,
POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS
RERUM METALLICARUM, ET VICARIIS AD AED. B. MARIAE
VIRG. HALBERSTAD.
A. D. III. NON. DECEMBRIS MDCCXXXVIII PLACIDE EXTINCTI,
BEATIS MANIBUS,
LVGVBRE HOC PIETATIS AC HONORIS MONVMNTVM
OFFICIOSE DICAT
FRATERNITAS VICARIOURM
EGCLES. B. MARIAE VIRG. HALBERSTADENSIS;
INTERPRETE
FR. WILH. EICHOLTZ
HALBERSTADII
CHARACTERE FRIDERICIANO, MDCCXXXVIII.

